

OBSERVATIONVM ECLECTICARVM

DE

METAPHYSICA LEIBNITIO · WOLFFIANA
SPECIMEN VI. THEOLOGICVM.

§. I.

Argumentum pro existentia divina Wolffianum *a)* ex contingencia universi existentiam Dei concludens, adversus objectiones hucusque propositas *b)* firmo statuto.

a) quod sequentibus nititur Propositionibus; Existunt Mens nostra & Mundus corporeus: Nihil existit sine ratione sufficiente, cur potius existat, quam non existat; hæc sufficiens ratio non est in nihilo, sed in aliquo existenti; cumque nec in mente nec in mundo esse possit, ob contingentem utriusque existentiam, datur Ens a Mente & Mundo distinctum, continens rationem existentiae Mentis & Mundi; datur itaque Ens a se necessarium infinitum, intellectu & voluntate perfectissima præditum, h. e. Deus. v. Celeb. Dn. Wolffii Metaph. c. VI. & ejusdem Annotationes ad h. l. in primis autem eruditiss. Dn. Bulffingeri Dilucid. Sect. IV. c. II.

b) a S. R. D. Langio Ausfuhr. Entdeck. p. 279. sqq. & eruditissimo Dn. Apologeta S. R. D. Buddei Bescheidner Antwort p. 19. sqq. & p. 97. nervus objectionum in eo consistit, Wolffium Mundo contingentiam serio tribuere non posse, eo quod æternitatem & fatalem necessitatem eidem assignaverit, qua de causa distinctionibus, quas in Comment. & Monito proposuit, inter necessitatem absolutam & hypotheticam, essentiali & existentiam nondum sublatas esse difficultates arbitrantur. Quod attinet ad æternitatem Mundi, non licet ex eo, quod omne necessarium est æternum, colligere, etiam vice versa omne æternum esse necessarium, adeoque Mundum, si æternus foret, statuendum esse necessarium: neque Wolffius asseruit Mundum esse æternum, sed negavit tantum Creaturam æternam esse contradictoriam; præterea terminos temporis & æternitatis peculiari ratione explicavit; quamvis utrique nec sine ratione supra Specim. II. §. 9. 10. 12. contradixerim, nullem tamen consequentias, si vel maxime sint legitimæ, Scriptori iisdem expresse contradicenti imputare, in primis cum absurditas tum demum sit conspicua, quando termini in sensu magis recepto, a quo Wolffius recedit, accipiuntur. Necessitatem Mundi Wolffianam, quamvis major sit quam Physica necessitas, non tamen Metaphysicam esse, multo minus Stoicam aut Spinozisticam eodem Specimine II. §. 6. & 7. satis, ni fallor, demonstravi. Quod autem attinet ad necessitatem essentiali a necessitate existentiam distinctam, Specim. I. §. 10. sqq. ostendi, a Wolffio essentiali & existentiam nimis discerni; hoc tamen non obstante sensum doctrinarum

F

Wolf.